

12. §. 35. *Per incarnationem 12. iste homo est Deus, & sedet ad dextram Patris &c.* Ita vero iste homo Deus est per incarnationem, ut secundum eam naturam, quæ assumpta est, a qua iste homo dicitur estque homo, fit Deus, per incarnationem. Alioqui per incarnationem iste homo secundum divinitatem, non potest Deus dici. Qui ante incarnationem secundum deitatem suam Deus ab æterno fuit, per incarnationem etiam secundum humanam naturam Deus est. Uti vero iste homo, juxta id, secundum quod homo est, mortuus est, & resurrexit, & ascendit in cœlos, ita etiam, juxta eandem humanam naturam sedet ad dexteram Dei Patris. Quæ simplicissima est Scripturæ ipsius, symbolique doctrina. Itaque, ratione humanitatis sedere, omnino dicendus est. 13. Tandem ergo, ut humana natura sit æqualis gloriæ, potentiæ, majestatis particeps, non requiritur, ut ipsa *in se* æqualis Deo sit, sufficit quod ejus propria natura est, qui æqualis Deo est, æqualem, imo eandem cum Patre gloriam, & majestatem, & potentiam habet.
14. §. 36. Monitum 14. Bellarmini, quo Pastores instruit, *ne errent, atque ut dilucide populum instruant*, non repudiamus. Hoc vero tum fit optime, & sine ullo erroris periculo, si scripturam, symbolumque ex ea factum, sequare. *Subtili & sublimi* expositione, vel disputatione, opus non est. Simplex fides, verbo scripturæ, symbolique ex ea confecti, inhærens, rem ipsam tenet habetque. Ipse Bellarminus, qui errorem cavendum monet, & vult populum dilucide instrui, hoc non præstitit, *peregrina* Sessionis acceptione, atque non apto exemplo *purpure regis*. Nam, itane sine errore, & dilucide Pastor, docente Bellarmino, explicabit symbolum: mortuus est secundum humanitatem; resurrexit etiam ascendit secundum humanitatem; sedet ad dextram Patris, hoc vero secundum deitatem. Quis hic nexus; vel quæ hæc est articulorum consecutio? Scriptura ducente, atque docente, ascendit Christus, *ut sederet, ut impleret omnia*. Unica igitur scripturarum lux omnem erroris nebulam discutit, illuminat mentem, præstatque ab errore tutam.

§. 37.